

vides divitem, sanum, honoratum, potenter, formosum, tu non propterea efficeris dives, sanus, ex paupere, infirmo, etc. sicut ipse est; sed visio Dei similis est visioni lucis, que cum aspicitur, oculo communicat suas virtutes, claritatem, calorem, amoenitatem. Beati ergo Deum videntes, cuncta desiderabilia, quae in ipso sunt, etiam ad se trahunt et derivant: ejus sapientiam opes ac delicias, gloriam, incorruptionem et aeternitatem. Unde bene Philippus dixit: *Domine, ostende nobis Patrem, et sufficit nobis, Joan. XIV.*

Secundo, ex Dei visione rerum omnium cognitionem ac visionem: *Quid enim non vident, qui videntem omnia vident?* ait S. Gregorius, lib. IV. dial. capite XXXIII. Qui addamus B. Prospperum, qui loco paulo ante citato ait: « Ibi (in celo) ita patebunt singulorum singulis mentes, sicut corporalibus oculis subjacent facies corporales: quia humanorum pectorum tanta ibi erit et tam perfecta munditia, ut habeant unde mundatori suo Deo gratias agant, non unde offensi aliquibus peccatorum sordibus erubescant: quia nec ulla peccata ibi nec peccatores erunt; et qui ibi fuerint, jam peccare non poterunt. Nec latebit jam perfecte beatos aliquid secretorum, qui, quod est longe praestantius, ipsum visuri sunt mundis cordibus Deum: quandoquidem humana creatura ita perfecta erit, ut in melius aut deterius ultra mutari non possit. »

VI. *Filiū Dei vocabuntur.* Qua vero ratione? Primo, quia erunt Deo quam simillimi, velut adoptivi filii, qui cum naturales filii non sint, pro filiis tamen habentur, pene naturam filiorum imitantes. Filius naturalis trahit a patre similitudinem ejus per naturam: filius adoptivus trahit ad se patris similitudinem per gratiam. Jam sicut luna et stellae lucem suam mutuant a sole; sicut filii adoptivi accipiunt filiationis Dei nomen et dignitatem a Christo Filio Dei naturali; et sicut luna, illuminata a sole, videtur esse quidam sol nocturnus, et stelle parvuli quidam soles: ita filii adoptivi sunt quasi alter Dei naturalis filius, cui participatione sunt simillimi. Sic ferrum ignitum totum videtur transisse in ignem, licet adhuc ferri naturam retineat. Incomparabilis est ista beatorum gloria et merces nimis copiosa, cui plane nihil posse superaddi videtur. Quo enim altius possunt ascendere, nisi fiant et ipsi filii Dei naturales, quod impossibile est? Pro magno olim habitum fuit adoptari ab imperatore, et ad nominis communionem assumi. Maxima Josephi dignitas fuit, appellari *salvatorem* et secundum regis currum ascendere, Gen. XLI. maxima Amanis gloria: *Secundum a re-*

*ge appellari, Esth. X. et XV. et Patrem regis,* cap. XVI. David etiam capere non poterat, quod ipse gener regis fieri deberet, I. Reg. XVIII. At haec omnia exigua, immo nihil sunt, comparata cum dignitate et appellatione *filiorum Dei* immortalis, regum omnium Domini. Placuit sibi, vanissime licet, Alexander M. in dicta appellazione, qua Jovis filius dici amabat et volebat: quasi ea appellatio plus valeret, quam totum ejus imperium. Quid erit beatis, quae gloria, quis honor, appellari in celo filios Dei?

Secundo, quia erunt Deo charissimi, sicut filii patri. Et hujus premii magnitudinem quis comprehendere queat? Si enim filii charissimi, ergo et heredes honorum paternorum: ergo et commensales, patri semper proxime adhaerentes: ergo summa agendi libertate prædicti: ergo summo decore et gloria adornati: ergo omnibus gaudiis deliciis, bonis voluptatibus affluentes et circumfluentes. Haec omnia consequuntur filios regis charissimos. Unde merito Joannes dixit: *Videte qualēm charitatem dedit nobis Pater, ut filii Dei nominemur et simus, I. Joan. III.* Nos quidem hic promissione: beati vero etiam possessione.

VII. *Ipsorum est regnum celorum.* Quid regnum hoc impetrat? Primo, summam potestatem dominandi in celo et universo mundo, agendi quidquid lubet; quod aliis quidem filii sub patria potestate constitutis non ita licet. Dominabuntur ergo non uni Hispaniae, non uni Asiae aut toti terrae sed universo orbi, celo, terrae, elementis, inferis, demonibus; quia quidquid ipsi fieri volent, hoc approbat Deus.

Secundo, summos honores accipient non a plebe aut quibuscumque, sed a SS. Trinitate, et imprimis a Christo Domino, sub cuius vexillo militarunt, cum quo in temptationibus permanescent, cuius calicem biberunt; deinde a ss. angelis, qui ipsorum egregia facta collaudabunt, ac praedicabunt; neconon a beatis aliis, presertim iis, quos vel singulariter imitati sunt vel coluerunt, vel ad consequendam beatitudinem quomodocumque promoverunt.

Tertio, summam honorum omnium et regium deliciarum abundantiam. Quid enim Samuel ad Saulem jam regem a Deo designatum? *Et cuius erunt optima quæque in Israel?* Nonne tibi? inquit, I. Reg. IX. quasi regibus debeantur omnes regni deliciae et selectissima quæque, sive ad victum et vestitum, sive ad pompam et voluptatem spectent. Et si haec regibus terrenis, quid erit regnantibus in celo? Hec igitur sunt poma, haec deliciae Italia illius ecclæstis, haec merces militantium Christo. Inspiciat haec qui vult, et vide-

at, an alibi talem mercedem, tales delicias militando, vel serviendo cuicunque tandem regi, comparare sibi possit. Pergite igitur vos quicunque Christo militare cœpistis: gaudete et exultate, etiam occurrentes: *Quoniam merces vestra copiosa est in celis.*

## CONCIO III.

## QUALES COELI CIVES.

1. Omnes sapientissimi. — II. Omnes amici sunt sincerissimi. — III. Omnes nobilissimi. — IV. Omnes speciosissimi. — V. Omnes bene morati et aulici. — VI. Omnes ditissimi. — VII. Omnes jucundissimi et latissimi.

## THEMA.

*Gaudete et exultate, quoniam merces vestra copiosa est in celis.* Matth. V.

Non parum offensus fuit Deus, cum Hebrei jam educti ex Aegypto et in medio itineris, ad terram sibi promissam melle et lacte manantem instituti, fastidio languore et regredi Aegyptum voluerunt, spreta dulcissima illa patria. Iratus enim Dominus: *Usquequo, ait, detrahet mihi populus iste? Quousque non credent mihi in omnibus signis, quæ feci coram eis? Feriam igitur eos pestilentia atque consumam,* Num. XIV. Neque introduxit quemquam illorum in Palæstinam, præter Josuen et Caleb, qui restiterunt populo. Similiter etiam displicuit Deo, quod captivi in Babylone assuerint Chaldaeos, ita ut reverti in patriam non curarent. Unde toties eos monuit per prophetas, et gladium Persarum eis minatus est, uti Isa. XLVIII. *Egredimini de Babylone, fugite Chaldaeos:* et Jerem. LI. *Egredimini de medio ejus (Babylonis) populus meus, ut salvet unusquisque animam suam ab ira furoris Domini.* Scimus patriam nostram in celo nobis promissam, et concives nostros ibi jam degentes; nos a dæmonis servitute eruptos, cœptoque in itinere constitutos, non habere hic manentem civitatem: quam ergo displicebit Deo, sed ad beatam illam patriam et concives nostros non aspiremus, sed hic inter Aegyptios et Chaldaeos potius vivere appetamus! Videmur sane nescire, qualis illa patria, quales cives sint. O si hoc sciremus! Quam sorderet nobis terra ista! Quam illuc festinaremus! Quare, ut hoc desiderium in nobis accendatur, consideremus cives illos.

Si esset aliqua civitas, in qua omnes cives essent sapientissimi, fratres amantissimi, nobilissimi, speciosissimi, aulici seu comites, ditissimi, jucundissimi; quis non appeteret esse illorum concivis? Ac tales sunt cœli cives omnes et singuli.

I. *Gives cœli omnes sunt intelligentissimi.* Nam primo, omnes se invicem norunt et intelligunt, quasi semper intimi amici fuissent. Colligitur ex eo, quod a liqui illorum, adhuc in terris positi, se invicem moverunt prius non visos, uti S. Antonius et Paulus eremita, S. Dominicus et Franciscus, qui se mutuo salutantes agnoverunt, et suis nominibus appellaron, licet prius sibi ignoti. Si ergo hoc in terra quibusdam concessum fuit, non concedetur in cœlis? Jam vero cum quis peregrinam civitatem ingreditur, quoties notum aliquem amicum offendit, toties novo gaudio perfunditur. Quid erit tot millibus sanctorum, toties desideratorum, occurrere in celo? Quid notis parentibus et amicis?

Secundo, omnes sunt sapientes et eruditi, plus quam Adam aut Salomon. Jam si regina Saba tanto itinere venit ad Salomonem, ut ejus sapientiam perciperet; si philosophi ad S. Antonium licet illitteratum, audiendum, in solitudinem excurrerunt; si jucundum versari cum sapientibus: quid erit cum tot tantisque? Sane Cerdidas civis Megapolitanus ex Arcadia dixit se libenter mori, quod inventurum se speraret Pythagoram philosophum, Hecatæum historicum, Olympum musicum, Homerum poetam, apud Eelian. I. XIII. var. hist. c. X. Similiter et Socrates mori optabat, ut cum talibus viris conversari posset. Nos non aspirabimus ut videamus Christum, apostolos, martyres, confessores, etc. qui illis terræ filii tanto sapientiores sunt, quantum a terra cœlum distat?

Hic in mundo plerique sunt rudes, quibuscum fastidiosum est agere, quorum vel unus molestus est sapientum concessui: non omnes novimus, nec omnium linguis intelligimus. At ibi omnes doctissimi et sapientissimi: *Quoniam ipsi Deum videbunt. Quid autem non vident, ait S. Gregorius, qui videntem omnia vident?*

II. Omnes sunt amici sincerissimi. Themistocles Atheniensium dux prædium venditurus, ex hoc potissimum id commendari a præcone jussit quod haberet bonos vicinos, Stob. ser. XXXV. indicans hoc eximium esse bonum inter cives. In celo omnes vicini sunt optimi, omnes amicissimi.

Primo, sine ullo adversario, quale fuit regnum Judææ, sub Salomone rege pacifico dicente: *Nunc non est Satan neque occursus malus,* III. Regum V. *Et sed sit unusquisque sub vite sua et sub ficu sua,* III. Reg. IV. In terra hic multi Satanæ et Judæ sunt, qui perturbant vicinos et concives, sicut una fis-

tula in organo dissona, totum cantum. Nullus ibi Satan, nullus Judas sedebit inter Christi discipulos et amicos: *Beati paci, quia filii Dei vocabuntur;* ergo omnes fratres erunt, quia tales amat Deus. Romæ in una domo habitabant sexdecim Elii, omnes de eadem familia, summa amicorum concordia, quibus erat unicus fundus, e quo vivebant, paucioribus servis indigens, quam erant heri, quibus proinde, ob hanc animorum unionem publica domus in Circo Flaminio maximo, ad spectacula visenda aptissima a senatu Romano donata est, Valer. l. IV. c. IV. In cœlo omnes erunt tales Elii, id est, *soles*, unius voluntatis et animi, et quidem constantes: nimia familiaritas non pariet odium, uti Davidi contigit, qui prius Sauli dilectissimus, post factus est exosissimus, I. Reg. XVI.

Secundo, sine omni invidia et æmulatione. *Foris enim canes, clamat Joannes, Apoc. ult.* Fistulæ in organo omnes bene consonant, licet una minor, altera major, proinde haec plus venti, illa minus habeat, quia plus minor non requirit: ita cœli cives omnes et singuli sua sorte contenti sunt. Non ita fit in terra, ubi cum quis bono aliquo reliquos superat, mox a tergo habet æmulos et patitur prædones.

III. Omnes sunt nobilissimi. Primo, quia filii Dei et reges: *Quoniam ipsorum est regnum cœlorum.* Ideo vincenti promittitur: *Corona vitæ, Apocalypsis II.* Ideo viginti quatuor illi seniores coronati aiunt: *Regnabimus super terram, scilicet viventium.* Constantius imp. Romanum primo ingrediens, visa Romanorum majestate, dicebat: *Videri sibi omnes cives esse reges, et domus palatia.* In cœlo beati verissime: *Singuli erunt perfecti reges,* ait S. Anselmus, epistol. II. ad Hugonem, *quia quod singuli volent, hoc erit, et omnes simul cum Deo unus rex, etc.* Nulli tales reges in mundo; nam et qui revera ad regni gubernacula sedent, non annia quæ volunt impetrant: plerique miseriis subjecti sunt ac gravibus pressi sarcinis.

Secundo, quia in majestate omnes. Si enim Moyses et Elias, nondum glorificati visi sunt in majestate supra montem Thabor, cum ad gloriæ regem convenerunt; quis dubitare potest cives cœli omnes in majestate plusquam regia apparituros? Hic in terra plerique male vestiti, male habitant et comedunt; quia non in patria, sed in exilio sumus.

IV. Omnes speciocissimi. Primo, quia gloria corporis et animæ decorati: *Erunt enim sicut angelii Dei,* ait Dominus, Matthæi XXII. Angelus quidam architectum Carthusianum Erfordiensis præcedens in dimensione ædificii struendi, ita eum rapuit sua pulchritudine, ut is oculum capitum sui

perdere vellet, si rursum eum videre posset, Serar. in rebus Mogunt. Vidua quædam venerabilis multis precibus a Sancta Lydwina virgine Scheidamensi postulabat ut sibi angelum ejus videndi copiam impetraret. Annuit virgo, et monuit ut secum clauso ostio in precibus persisteret. Et en adest angelus incredibili pulchritudine, ut ejus conspectu vidua plane absorpta, et oculis splendorem mirificum, et naribus odorem, et gustu saporem mellifluum perciperet, ut in ejus vita, 14. jan. Tales erunt cœli cives. Omnis mundi splendor evanescit coram cœlesti, uti stellæ coram sole.

Secundo, ab omni labore puri erunt. Homines in terris sordent pene omnes: hic factore halitus vel ulceris; ille ex sordido opificio, uti ex corio, furno, ferro, limo, macello: alius ex senio, alii ex pauperie, etc. Ibi omnes: *Sine macula sunt ante thronum Dei.* Certe S. Hanno Colon. episcopus a consessu beatorum exclusus ad tempus fuit, propter unicam maculam, quam in pectore habebat; quemadmodum et S. Adalricus episcopus Augustanus, ut in eorum gestis.

V. Omnes sunt aulici, optimis moribus imbuti. Primo, supra modum comes et humani: ita ut alter alterum honoret, sibique præferre conetur. Patet ex S. Paulo et Antonio, qui inter se honore certabant, uter eorum pane a corvo delatum frangeret. Ex Laurentio mart. qui S. Stephano in sepulcrum suum illato, removendo se ad sinistrum, dextram cessit: ex S. Petro, qui Moysi ut Eliæ tabernaculum vult ædificare, de se nil sollicitus: ex duobus episcopis, qui in eodem sepulcro positi, recessere ad latera utrinque et medium locum dedere S. Joanni episcopo eleemosynario, 3. febr. Lipel.

Secundo, conversatio et colloquia erunt tantum de rebus ingenuis et magnis, quemadmodum et regum colloquia sunt de rebus regiis: *Qui de terra est, de terra loquitur,* ait S. Joan. Baptista. Cœli cives de cœlestibus loquuntur; non sicut rustici de rusticis rebus, agris, bobus, porcis, frugibus: illi de Deo et divinis rebus agunt, velut aula cœlestis incolæ.

VI. Omnes sunt ditissimi. Radbodus Frisiae dux gentilis, ad baptismum jam paratus, quæsivit a S. Wulfranno, ubinam esset major numerus principum et nobilium gentis Frisoniæ, in cœlone an in inferno? Cumque audisset in inferno, propter eorum infidelitatem, retraxit pedem dicens, malle se esse in inferno cum principibus suis Frisonibus, quam cum exiguo pauperum numero in cœlo, apud Jonam Fontanellen. in Lipel. 20. martii. Sed o miserum te Radbodum et cœcum! Nonne audimus hodierno in evangelio: *Quoniam ipsi*

#### IN FESTO OMNIUM SANCTORUM.

*possidebunt terram, utique viventium?* Si regnabunt in cœlo, si possidebunt cœlum, quomodo erunt pauperes? Qui Deum ipsum possident quare indigebunt? « *Hic quod est aurum, non potest esse argentum; quod est vinum non potest esse panis;* ibi Deus tuus totum tibi erit: manducabis eum ne esurias, bibes eum ne sitias, illuminaberis ab eo ne sis cœcus, fulcieris ab eo ne deficias etc. » ait Augustinus, in Psalm. XLVI. Unde Apoc. II. *Vincenti promittitur manna aspergendum.* Id autem cœnatum saporum et ciborum dulcedinem continebat. Hic in mundo omnes sunt pauperes, quia plerique rebus parent et egent, nec unquam satis habent; semper plus desiderant: in cœlo omnes saturabuntur.

Secundo, ditissimi erunt operibus bonis et factis heroicis, quibuscum apparent in cœlo semper velut in aula regis præclari belli duces, qui plurimas obtinuerunt victorias, servarunt cives, eliminarunt hostes, ditarunt patriam, defenderunt regem, e variis denique ludis coronas reportarunt. Si Babbo ille comes Abensbergensis cum triginta duo filiis scite ornatis et optime educatis Henrico II. imp. ad obsequia oblatis, gratum valde imperatori spectaculum et simul munus exhibuit, teste Avent. lib. V. annal. Boior. quanto magis sancti Deo placebunt, cum ei filii suos spirituales, quos ipsi genuerunt; cum alia præclaræ opera, ad ejus honorem patrata, coram eo producerint? Et haec sunt illorum maxime divitiae, respectu quarum opes mundanae omnes mera sunt inopia.

VII. Omnes denique jucundi, hilares, gaudiis affluentes: *Quoniam ipsi consolabuntur et saturabuntur.* Si enim Sanctus Franciscus, adhuc in terra degens, responso cœlitus auditio se unum ex cœli cibis fore, ita per octo dies integros exultavit et gaudiis perfusus incessanter exclamavit: *Benedictus Deus,* interim cibi et potus ac sui ipsus oblitus: *quid erit ipsa gaudiorum cœlestium fruitio?* Ad hæc communicabunt sibi invicem bona et gaudiæ sua, et gaudebunt de alienis æque ac de suis tamquam fratre; quomodo septem filii Job faciebant convivium per domos, unusquisque in die sua, et vocabant fratres et tres sorores suas, ita ut mensa ipsis communis esset, Job. I. Hunc enim in modum quæ quisque beatus habet bona vel gaudiæ propria, ea communicat et aliis. Sic augentur in immensum gaudiæ eorum; quemadmodum aquæ in balneo, quo plures in eam descenderint. Quid esset, si singuli cives quotidie convivæ essent modo apud hunc, modo apud illum principem? At hoc in cœlo erit, in terra non est.

Secundo, gaudium hoc illis perenne ac perpetuum.

#### VI. PARS FESTIVALIS.

tuum erit. Qualiacumque in mundo gaudia sint, ea fluxa et momentanea sunt, ideoque vana et futile. Hinc Ægyptii in conviviis cadaver hominis proponebant aut cranium, ut ea in morte saltæ finienda cogitarent. In tertii nuptiis Alexander Scotorum regis, dum choreæ ducerentur, visa est ad finem choreæ mors saltando agmen claudere, ea specie ossea et horrida, qua pinguis solet, designans regem eo anno moritum, uti factum, auct. Hect. Boetio, in Scot. annal. Hæc nimurum est clausula omnium mundi gaudiorum, nuptiarum, chorearum, ludorum, conviviorum, spectaculorum, venationum, etc. At ibi Deus: *Præcipit mortem in sempiternum,* Isaiae XXIV.

Quando igitur videmus quando beatores sint cœli cives civibus terrenis, superest ut, spreta hac civitate, ad cœlestem aspiremus. Hæbraei sedentes in captivitate inter Babylonios, cantare jussi, plorabant, suspensis organis suis ad salices, quod extra patriam et cives suos inter hostes exularent, uti queruntur Psalm. CXXXVII. *Quomodo cantabimus canticum Domini in terra aliena?* Ita et nos in terra nunquam in latitudinem effundi deberemus, ob desiderium patriæ nostræ et civium cœlestium. Unde Paulus ad Philipp. III. deflet eos: *Qui terrena sapiunt, additique: Nostra autem conversatio in cœlis est,* quod Tertullian. I. de cor. milit. ex Græco vertit: *Municipatus noster in cœlis est.* Idem nos Christiani cogitemus, ideoque, mundi civibus spretis, ad cœlestes aspiramus. Dina rapta a Sichem et inter Sichimitas vi detenta, licet blanditiis detineretur, semper tamen tristis erat et ad domum patris suspirabat, Gen. XXXIV. Sic nos, si cives cœli et Dei filii sumus, non delectemur mundi blanditiis, nec cum mundo gaudeamus, sed ad cœlestem patriam nostram continuo suspiremus: sic nos cœli cives ostendemus.

#### CONCIO IV.

##### OCTO BEATITUDINES TOTIDEM SIGNA PRÆDESTINATIONIS.

- Contemptus mundi. — II. Equanimis injuriarum tolerantia. — III. Desiderium cœlestis patriæ. — IV. Esuries verbi Dei. — V. Misericordia. — VI. Cordis mundities. — VII. Pacis amor et studium conciliandæ. — VIII. Hilaris persecutio, patientia.

##### THEMA.

*Aperiens os suum, docebat eos.* Matth. V.

Nescio, auditores, an hodierna festivitas potius gaudendi, an vero lugendi causam nobis afferat.

Lætitiae causam afferre videtur, quia beatorum omnium gloriam nobis proponit, et ad eam consequendam spem nostram erigit. Vicissim tamen tristitiam nobis ingerit, dum nos adhuc suspensos tenet et incertos, an ad eam perventuri simus: *Si enim vocati sumus, scimus: si electi sumus, nescimus*, ait Sanctus Gregorius, hom. XXXVIII. in evang. Fuit quidam e S. Dominici familia non ita pridem beatus vir, Aloysis Bertrandus, qui assidue plorabat; causamque rogatus, aiebat: *Cur non amarissime fleam, cum non certo sciām, an æternæ salutis compos sim futurus?* ut in ejus vita, cap. IV. refert Justianianus. Atqui nonne omnes nos de hoc ipso incerti sumus? Cur igitur cum ipso non pariter fleamus? Verum consolatur nos in hodierno evangelio Salvator noster, qui ex bona parte librum vite nobis aperit, et ex eo signa aliquot, quamquam non infallibilia prorsus, satis tamen certa monstrat; unde colligi queat, an et qui de electis sint. Id quod meo iudicio indicat Matthæus, cum de eo ita scribit: *Aperiens os suum, docebat eos*. Aperuit enim nobis octo hominum genera, quos beatos enuntiat, quia suæ electionis magna dant indicias, ut ostendit doctissimus quidam theologus, Andreas Vegas, in l. de justificat. cap. XI. et seq. En siquidem continent præstantissimas cœlque dignas virtutes: ideoque a Christo beati pronuntiantur, qui illis sunt prædicti. Quos nunc videmus.

I. *Beati pauperes spiritu*. Per hos intelliguntur primo, contemptores opum et sacerdotalium honorum. Primum promittitur regnum cœlorum, adeoque ad illud certa spes datur; quia ut ait S. Ambrosius in illum locum, l. V. in Luc. c. VI. *Qui contempserit sacerdotalia, ipse merebitur sempiterna*. Ostendit enim se ad majora natum ad vera nimirum et solida æternaque bona, qui fluxa hec et inania spernit; sicut Moyses infans a filia Pharaonis nutrici datus, respuit lac gentilium seminarum: Hebræa lac admisit, Josepho teste, l. II. antiqu. cap. V. ostendens se de Hebræis, non de gentilibus esse. Idem ḥadema Pharaonis sibi impositum delabi passus, pedibus calcavit; unde conjectavit mox ariolus, hostem Ægyptiorum fore, ut ibidem refert Josephus. Nobiles et excelsi animi vilia versantur, quia ad magna se natos indicant. Cum S. Bernardus una cum fratribus suis ad monasterium pergeret, solo Nivardo natu minimo domi relicto, Guido primogenitus ei dixit: *Eia frater Nivarde, ad te solum respicit omnis terra possessionis nostræ*. Ad quod puer non pueriliter motus: *Vobis ergo, inquit, cœlum et mihi terra? Non ex æquo divisio hæc facta est*. Ita Guilielmus abb. in vita S. Bern., l. I. c. III. En puer mox cognovit cœlum fratres petere, qui ter-

ram sibi rerelinquerent. Hoc agunt qui terrenas opes spernunt, et mundi sectatoribus cedunt: cœlum ergo petunt. B. Petrus Damiani episcopus et cardinalis creatus, cum vix multis lacrymis obtinuisset a papa, ut dimissa ea dignitate ad monasterium se conferre posset, scribit ad Nicol. II. Pp. *Plerique pontificatus jura non deserunt, et de sinistris sunt; quotquot autem legimus recta intentione dimisisse, certa spes est, eos de æterna cum Christo societate gaudere*.

Secundo, humiles, ex multorum pp. sententia. Et jure, quia conjuncti sunt pauperes et humiles. Isti etiam dum contemnunt et fugiunt honores hujus sæculi, dignos se honoribus cœli faciunt ac demonstrant. Ita S. Gregorius XXXIV. mor. c. XXI. *Quia redemptor noster corda regit humilium, et levianthan rex dicitur superborum, aperte cognoscimus, quod evidentissimum reproborum signum est superbii, et contra humilitas electorum*. Justinus Thrax in aula Anastasii imp. versatus, cum sequens imperatorem casu ejus paludamentum calcasset, eo animadverso, collegit, et prædictit ei Anastasius fore eum successorem suum in imperio, ut factum. Refert Caussinus, in polit. christiano. Non minus omen est fore regem cœli, qui calcat fastum terrenum per humiliatem. Sic explicant Hugo card. et alii id Deut. XI. *Omnis locus, quem calcaverit pes vester, vester erit*. Ideoque a Christo beati pronuntiantur, qui illis sunt prædicti. Quos nunc videmus.

II. *Beati pauperes spiritu*. Per hos intelliguntur primo, contemptores opum et sacerdotalium honorum. Primum promittitur regnum cœlorum, adeoque ad illud certa spes datur; quia ut ait S. Ambrosius in illum locum, l. V. in Luc. c. VI. *Qui contempserit sacerdotalia, ipse merebitur sempiterna*. Ostendit enim se ad majora natum ad vera nimirum et solida æternaque bona, qui fluxa hec et inania spernit; sicut Moyses infans a filia Pharaonis nutrici datus, respuit lac gentilium seminarum: Hebræa lac admisit, Josepho teste, l. II. antiqu. cap. V. ostendens se de Hebræis, non de gentilibus esse. Idem ḥadema Pharaonis sibi impositum delabi passus, pedibus calcavit; unde conjectavit mox ariolus, hostem Ægyptiorum fore, ut ibidem refert Josephus. Nobiles et excelsi animi vilia versantur, quia ad magna se natos indicant. Cum S. Bernardus una cum fratribus suis ad monasterium pergeret, solo Nivardo natu minimo domi relicto, Guido primogenitus ei dixit: *Eia frater Nivarde, ad te solum respicit omnis terra possessionis nostræ*. Ad quod puer non pueriliter motus: *Vobis ergo, inquit, cœlum et mihi terra? Non ex æquo divisio hæc facta est*. Ita Guilielmus abb. in vita S. Bern., l. I. c. III. En puer mox cognovit cœlum fratres petere, qui ter-

se ostendit, qui inimicos diligit. Deus etiam super inimicos solem suum oriri facit. Ad hæc imperturbabilis est: mites vero in his eum imitantur; filii ergo sunt; quia non absimiles. Oves quoque sunt (quid enim ove mitius?) ergo a dextris judicis in iudicio collocandi.

III. *Beati qui lugent*, præsentis scilicet vitæ exiūm, et aspirant ad patriam. Per hoc enim ostendunt se cives cœli esse. Qui extra patriam peregrinantur, desiderio tenentur redeundi in patriam suam, adeoque indicant se alterius terræ incolas esse (quomodo Adad Idumæus, licet in Ægypto a rege bellissime haberetur, institut tamen: *Dimitte me, ut vadam in terram meam*, l. Reg. XI.) ita qui prædestinati sunt, cœlum tamquam patriam suam intuentur, terram velut exilium; et hoc ipso demonstrant se non hujus mundi sed cœli cives esse. Certe quando Hebræis in captivitate positi flentes sederunt et suspenderunt in salicibus organa sua, jussique cantare: *Hymnum cantate nobis de canticis Sion, responderunt: Quomodo cantabimus canticum Domini in terra aliena?* Psal. CXXXVI. satis superque demonstrarunt se non esse Babylonios, sed Hebreos. Hunc in modum qui in hac vita suspendunt et relinquunt salicibus, hoc est, infructuosis mundi amatoribus organa sua profana, lætitiam, chores, ludos, compositiones, etc. ostendunt se hic in exilio esse, in cœlesti vero Jerosolyma patriam habere. Ferunt esse de paradi nomen sortitam, omnium pene colorum, voce tam dulci ac pia, ut in hominibus devotionem excitet: quæ si forte capta detineatur, incessanter gemit, donec dimittatur, ut refert ex l. de nat. rer. Rob. Holcot, in l. Sap. I. XLIV. Electorum animæ tales aves sunt; quæ, quia de parado cœlesti sunt, detenta in terra canere non possunt, sed continuo gemunt cum Davide: *Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est!* Et cum apostolo: *Quis me liberabit de corpore mortis hujus?*

IV. *Beati qui esurunt et situnt justitiam*. Sub justitiae nomine intelligo etiam verbum Dei, in quo docetur ac discitur omnis justitia. Esurientes verbi Dei et auditio cum fructu et gusto, signum est electorum, ex sententia Sancti Gregorii, XVIII. homil. et S. Bern. serm. I. in septuag. Nec difficile ostenditur ex illo Christi verbo: *Qui ex Deo est verba Dei audit, Joan. VIII.* idem insinuat Deus Ilsa. c. LV. ubi ait: *Verbum meum, quod egredietur de ore meo, non revertetur ad me vacuum*. Trahet enim secum pium auditorem ad cœlum; quod indicat Clemens Alexandr. l. I. strom. cum ait: « Qui in verbis veritatis germane et sincere sunt educati, accepto vitæ æternae viatico, sublimes in cœlum feruntur. » Accedit S. Bernardus,

serm. I. in septuag. « Inter ea, inquit, quæ fiduciam præstant et materiam spei, unum illud maximum est, de quo nunc cœpimus loqui: qui ex Deo est, verba Dei audit. » Constat enim unum quemque libenter audire ea, quæ desiderat, v. g. res patriæ sua: cœli ergo se civem prodit, qui celestia cum gaudio, gustu et fructu audit.

V. *Beati misericordes*. Habent isti a Deo nimis magnas promissiones de æterna retributione; et jure, tum quia misericordes paciscuntur quasi cum Deo, ut pro terrenis, quæ ipsius nominant pauperibus, recipiant æterna, sibi ab eo promissa; tum quia suis largitionibus et profusionibus in pauperes, ostendunt se terrena bona spernere, et habere animum ab illis alienum, nec nisi cœlestia querere. Quando Rahab illa Jericunthina fecit misericordiam cum exploratoribus Hebreorum, occultando eos in domo sua, ac dimittendo per funiculum, ut effugere possent manus insidiatorum, vitamque tueri, adjuravit eos (nec immerito) dicens: *Jurate mihi per Dominum, ut quomodo ego misericordiam feci vobiscum, ita vos faciatis cum domo patris mei, detisque mihi verum signum, ut salvatis et eruatis animas nostras a morte;* quando scilicet civitatem istam occupaturi et eversuri estis. Jurarunt illi et dederunt hospitæ signum: ut funiculum illum coccineum, quo demissi ab ea fuerant, appenderet fenestrae, per quam demiserat eos, Jos. II. Fecit illa, ut jussa erat, et statim (ut vult Lyranus) funiculum illum ligavit ad fenestram indicatam, (ut viderent illum; et quis de adventu eorum incerta erat) pendulumque reliquit; itaque sola ejus domus incolumis permanuit in eversione Jericho, edicente Josue: *Sola Rahab meretrix vivat, Jos. VI.* Non putamus factorum Christum misericordibus, quod fecit misericordi mulieri Josue, Christi typus re et nomine? Ergo qui misericordiam Christi pauperibus exhibuerint, habeant hoc verum, et indubitatum salvationis signum: ligent ac ligatum constanter teneant funiculum coccineum charitatis et misericordiæ (de quo Ose. XI. In funiculis Adam traham eos, in vinculis charitatis) ante dominum suam: studeant servare animas egenorum; et haud dubie servabuntur a ventura iudicis iranimæ ipsum.

VI. *Beati mundo corde*. Principes ac reges desiderant in aulis suis ministros forma præstantes ac decoros, non deformes aut foeda aliqua macula notatos: unde Prov. XXI. dicitur: *Qui diligit cordis munditiam, habebit amicum regem*. Externa enim species et compositio corporis index est interni animi. Os distortum ac deformatum nescio quid infastis ac distortæ mentis indicat: facies contra venusta et rubore suffusa animum since-

## CONCIO IV. AUCTARII.

rum et pudicum. Hinc Nabuchodonosor ad aulam suam ex Hebræorum pueris nonnisi forma decoros omniq[ue] macula carentes assumi voluit, Dan. I. Multo magis immaculatos homines Deus in aula suo cœlesti exigit; qui etiam ab altari removit omnes, quicunque corporis aliquo defectu aut labe fœdati erant. Forma illa et nitor non corporis sed animæ, munda est conscientia. Quotquot ergo illius munditiae valde student, eam semper conservando, vel ubi labe aliqua aspersi fuerint, mox emundando, magisque semper et magis priorem reddendo per frequentem confessio[n]is et eucharistiae usum, hi præclarum in se prædestinationis notam habent. Georgius Cedrenus, in Salomonem scribit, propositos ei a regina Saba formosos pueros ac puellas eodem vestitu et ornatu, ut inter sexum internosceret: *Rex omnes lavare faciem jussit, itaque discrimen sexus deprehendit; cum mares fortiter atque valide facies tergerent, femellæ teneriter et timide.* Vultis scire quinam masculos animos colo dignos inserendosque habeant, et qui muliebres celo excludendos? Videte quinam fortiter ac valide conscientias suas abluant et abstergant, per frequenter ac seriam confessionem et communionem, per crebra pœnitentia opera, per examen quotidianum, per assiduam sui accusationem ac reprehensionem: hi de electis sunt. Contra vero qui timide et teneriter, hoc est, obiter, raro, neglecte et indigne utuntur sacris illis mediis, non abstergent omnes maculas in confessione, etc. reprobationis suæ non leve indicium præbent: quia nullam aut exiguum salutis suæ curam habere dignoscuntur.

VII. *Beati pacifici.* Habent certe isti, qui pacem colunt et conciliare student, non obscurum suæ electionis argumentum, quia gerunt nomen Dei, velut patris sui, qui ab apostolo toties appellatur *Deus pacis*, ad Roman. XV. et XVI. I. Cor. XIII. ad Philipp. IV. et I. Thessal. V. II. Thessal. III. ad Hebr. XIII. Christus etiam *Rex pacificus* appellatur; quia pacem inter cœlum et terram fecit, secumque a cœlo attulit: *Quod si filii, et hæredes* erunt. Abraham quando pacis causa cessit Lotho Pentapolim, ut sopiretur jurgium inter ipsos et pastores eorum, tum Deus monstravit et promisit illi totam Palæstinam seu terram promissionis, lacte et melle manantem, Genes. XIII. Ea vero typus erat cœlestis beatitudinis. Qua re, ni fallor, indicavit Deus cœlum se daturum iis, qui, pacis sanciendæ aut conservandæ causa, terrenum aliquid alteri cesserint. Ad Pambo[n]em abbatem venerunt duo fratres, et rogarunt an salutem sperare possent, alter biduo jejunando, alter duas siliquas labore diurno lucrando et

pauperibus dando. Quibus ipse: *Bonum quidem operaris; sed si custodias conscientiam tuam cum proximo tuo (pacem scilicet conservando) ita salveris*, Rosweid. I. V. vita ss. pp. libello. X.

VIII. *Beati qui persecutionem patiuntur propter justitiam*, cum patientia videlicet et hilaritate. Luctulentum hoc est electorum signum, ut ostendit potest variis similitudinibus. S. Gregorius, l. XXI. moral. c. IV. duas adducit, primam, de vitulis duabus, quorum unus sibi et sua libertati relinquitur in pratis, ut saginetur; alter jugo applicatur et trahere cogitur: nonne hic ad vitam, ille ad mortem destinatur? Alterum, de duobus ægris, uno desperato, altero non desperato: nonne illum medicus deserit, et quidquid appetit, edere ac bibere sinit: hunc vero potionibus, elysteribus, emplastris affligit, et a cupitis cibis retrahit? Addamus aliud simile. Habet statuarius duos ante fores suas truncos jacentes; unus sculptura idoneus secatur, tunditur, versatur manibus et vexatur; alter ineptus foris relinquitur: nonne signum est, quod prior ille exculpatur in speciosam statuam, posterior vero putredini permittatur vel ad ignem destinetur? Qui vineam suam fodit, putat, sepit, hoc ipso ostendit, quod eam sibi conservare pro solatio suo velit: qui vero eam negligit, non fodit nec putat, satis demonstrat, quod deserere eam velit. Pari modo dum videmus exerceri aliquos variis tribulationibus, jure existimamus eos esse de electis, quo ad gloriam Deus præparet. Sic pater filii legitimis, quos amat, constituit pædagogum; spurius vero negligit et sibi permittit.

Jam inspiciat quisque librum conscientiae suæ, ac videat an hæc signa, saltem aliqua, si non omnia, in se deprehendat. Quod si ea non inventiat, totis viribus diu noctuque laboret ut acquirat; atque adeo in hodierna festivitate non flendi sed gaudendi causam habet, cum audit dulcissimam philomelæ nostræ vocem: *Gaudete et exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cœlis.*

## IN FESTO OMNIUM SANCTORUM.

## CONCIO V.

## FRUCTUS HUJUS FESTI.

I. Excitat nos ad desiderium cœli. — II. Excitat ad spem consequendi bona cœlestia. — III. Labores hujus vitæ dulces facit, et omnes injurias. — IV. Mortem reddit optabilem.

## THEMA.

*Gaudete et exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cœlis.* Matt. V.

Festum hodiernum, auditores, non minore lætitia, quam alia, quæ per annum celebamus, peragere nos decet. Alia enim festa proprie ad Christi tantum et aliquorum sanctorum gloriam spectant, hoc vero ad gloriam etiam nostram. Etenim dum hodie sanctorum omnium gloriam recolimus, non eorum dumtaxat, qui jam in cœlis triumphant, sed eorum etiam, qui in terris militant, gaudia celebramus ut docet Sanctus Bernardus, serm. V. hujus festi. Idem enim exercitus est, qui partim mœnia jam concendit, partim infra adhuc pugnat. Itaque gaudium sanctorum in cœlo gaudium etiam nostrum est. Quod enim illi jam possident, hoc nos speramus. Et siicut vinum in cellario et dolio jam existens, exultat quasi et movet se, quando vites efflorescent; sæpe et alia in penu jam recondita, germina quædam edunt, quando alia consita in agris germinare incipiunt: ita militans Ecclesia hodie lætitia perfunditur, cum audit triumphantem in cœlo gaudiis circumfluere. Sed quid nobis confert festivum istud gaudium? Ad hoc respondebimus in praesentia.

I. Excitat nos ad desiderium cœlestis patriæ et contemptum rerum hujus mundi. Quemadmodum enim fructus illi gratissimi terra promissæ, botrus ingens, ficus et malogranata allata et ostensa a legatis excitare debuerunt Hebræos ad prosequendum iter in terram illam, eamque expugnandum (Num. XIII.), ita etiam delicia cœlestes, quibus fruuntur in cœlo beati, ostensæ nobis a Christo, qui de cœlo venit easque vidit et gustavit, accendere nos jure meritoque debent ad desiderandum et occupandum cœlum. Fructus autem illi et delicia sunt, quas recent in hodierno evangelio: regnum cœlorum ab ipsis possidendum, Dei visio, saturitas, consolatio, titulus filiorum Dei. Xerxes Persearum rex, cum gustasset aliquando ficus Græcanicas, suavitatem earum miratus, juravit se in posterum non comedendum, nisi Athenienses ficus, sive exercitum paravit et in Græciam duxit. Monstrat nobis hodie Christus, et quasi delibandas exhibet ficus et delicias cœlorum, ut et ipsi anime-

mur ad eas nobis comparandas unaque cum cœlitibus percipiendas. Cervos aiunt a canibus agitato[s] et fatigatos, concitato cursu, viribus pratis contemptis, ad aquas festinare. Nobis in hac vita misere agitatis ostendit hodierna festivitas fontem aquarum viventium, ut spretis mundi paludibus et bestiarum pabulis, cœlestes beatum aquas appetamus. Has appetit David, Psal. XLI. dicens: *Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te, Deus;* et mox: *Transibo in locum tabernaculi admirabilis usque ad domum Dei, in voce exultationis et confessionis, sonus epulantis* (vel secundum Hieronymum, *multitudinis epulantis*) *id est, in domum Dei, ubi est festivitas et sonus multitudinis sanctorum epulantis in semipiternum, ut exponit S. Augustinus in eum psalmum.* Sane phasides aves (quod vidi non semel) quando audiunt sonitum aliarum phasidum comedentium, licet eas non videant, illico alliciuntur et accurvunt, ut et ipsæ simul esca fruantur; adeo ut si aucupes ungue pulsent asserem, admodum gallinarum, grana colligentium, statim eas ad se congregent. Monstrat nobis hodie Christus beatos in cœlo bonis omnibus affluentibus, epulantes, et exultantes, ut et ipsi, spretis hujus mundi miseriis, illuc festinemus. Prodigus ille filius fame pressus, dum cogitat tot mercenarios in domo patris sui abundare cibis: *Ergo surgam, inquit et ibo ad patrem meum, Luc. XV.* Intelligimus hodie nos, in numeros operarios in domo Patris nostri cœlestis affluere omnibus deliciis: quid igitur nos in hujus mundi inopia moramur? Eamus ad domum Patris nostri, ut et ipsi saturemur, qui hic fame premur. Quid in hoc mundo reperitur quod cœlestibus illis bonis comparari possit? Qui hic non aspicit et audit plures undique miserias et calamitates, quam jucunditates? At ibi Deum vident beati, et in ipso omnia desiderabilia; unde exultat omnis miseria. Quis satiatur hic unquam honoribus, opibus, voluptatibus? At ibi beati omnes saturantur omnibus bonis. Quis hic reperit solatium aliquod solidum et stabile, quod non cito desinat? At ibi sancti perpetua consolatione perfruuntur. Quis hic plus acquirere potest, quam ut amicus Cæsar is dici queat? At ibi sancti omnes sunt et vocantur filii Dei. Denique, in mundo quid resonat passim undique, nisi clades, pestes, bella, famæ, naufragia, incendia, pruina? Nihil horum in cœlo est. In mundo lites, invidiæ, odia, injuriæ, contentiones, æmulationes, jurgia, insidiæ; nihil in cœlo simile: in mundo morbi, paupertas, miseria corporis, infamia, senectus, mors, cruciatus; nihil in cœlo simile.

II. Excitat ad spem consequendi bona coelestia, eoque pervenienti, ubi jam sunt beati. Ostendit enim nobis innumerabilem beatorum multitudinem, presentiam in lectione hodierna ex Apocalypsi Joannis, cap. VII. *Vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat, ex omnibus gentibus et tribus et populis et linguis, stantes ante thronum et in conspectu Agni.* Idque facile patet: primo, ex amplitudine celi et celesti Jerusalem, cuius duodecim portae describuntur in Apoc. c. XXI. Quis autem architectus, pro paucis inhabitatoribus, amplissimum excitaret palatum aut urbem longe vastissimam? Secundo, ex infinitis Christi meritis, quæ utique innumera electorum multitudo compensari aliquo modo debent. Tertio, inductione: quanta enim fuit multitudo martyrum! Quanta est sanctorum aliorum! Quam multi moriuntur post baptismum in statu innocentiae! Quorum tamen numerum minimam in celo partem esse, quis dubitet? Quam multi plebeii simplices vivunt in summis miseriis, et tamen Deo gratias agunt, suis contenti miseriis, qui utique vitam feliciorem merentur: denique, plerique catholici sacramentis moriuntur saltem in articulo mortis ubi etiam maximi peccatores communiter anxia cogitatione ad vitam futuram se disponunt. Hoc in celo omnes triumphare patet, partim ex martyrio eorum, partim ex sanctissima vita et miraculis, partim ex innocencia, in qua decesserunt, partim ex eorum pœnitentia in qua abierunt. Horum ergo numerus ingens jam cœli muros condescendit, et vexillum ibi fixit, nosque ad se evocat et suis precibus adjuvat, non secus ac Godofridus Bullionius, consenso Hierosolymæ muro, reliquo exercitu aditum patefecit ad portam urbis reserandam ac penetrandum, apud Tyrium, in descript. belli sacri. Testantur enim tot beatorum exercitus, quidquid est in mundo discriminum, superari posse, si ipsorum vestigiis insistere velimus. Ut etiam qui in ulteriore ripa consistunt, ipso suo exemplo loquantur flumen transvadari, traniari, aut certe navigando trajici posse, sic qui cum palmis virentibus et stolis cendentibus in celo conspicuntur, clarissime demonstrant, omnia salutis obstacula facile a nobis posse perrumpi: *Ibi enim tot pueri et pueræ, ibi juventus multa et omnis ætas et graves viduae et annæ. Tu non poteris quod isti et istæ?* ait S. Augustinus, lib. VIII. conf. cap. XI. qui et hac cogitatione animavit se ad ineundam cœli viam.

III. Dulces nobis labores hujus mundi facit, et tolerabiles injurias, quas patimur ab impiis. Ostendit enim hæc beatorum festivitas, sudores et labores nostros finem aliquando habituros et in

gaudium ac coronam convertendos: quemadmodum finem habuerunt et gloriose præmiati sunt in beatis illis, qui in celo jam festum agunt. Ut ergo David primo, pastorito sago induitus, postea splendidis Jonathæ vestibus decoratus est: et sicut Mordochæus prius sacco induitus, postea regio equo impositus: et ut arca prius habitavit sub pellibus, postea in magnificentissimum Salomonis templum illata est: Lazarus, prius mendicans, jacuit inter canes praeforibus, postea manibus angelorum in sinum Abrahæ delatus est: ita sudores et miseria nostra tandem in gloriam desinent, cum in beatorum cœtum assumemur. Ergo uti septem anni, quibus servivit Jacob pro Rachele, pauci dies ipsi videbantur et leves omnes labores, dum subinde oculos in promissam sibi sponsam conjiciebat, Gen. XXIX. ita labores omnes suaves, et dies quibus hic militamus, pauci nobis videri debent, dum ad gloriam beatorum aspicimus. Solent in hastiludis et pugilum certaminibus premia in conspectum proponi, aurea argenteaque pocula, torques et cimelia, quibus animentur qui in agone certant, et labores spernant. Henricus Landgravius Thuringæ, ex metallinis fodinis ditissimus, circa annum 1227. Northusia hastiludum instituens, arborem aureis et argenteis foliis erexit: singulisque currentibus et lanceas frangentibus, in sessione tamen permanentibus, argenteum folium: si quis autem aliquem, ut caderet, dejecisset, aureum folium dedit; ut habetur in chronico Misnensi. Simili modo proponit hodie Christus coronas sanctorum omnium, cœlestium divitiarum præmia, gemmea, aurea, argentea: martyrum, reliquiorum, sæcularium, virginum, viduarum, conjugum, ut eorum aspectu excitati, et pro iis fortiter pugnemus. Proponit nobis arborem octo beatitudinum, et in ea varia præmia, quasi totidem folia aurea, et argentea, varie vincentibus.

Tolerabiles item ac leves facit omnes, quia patimur injurias: siquidem illæ in die sanctorum omnium, cum ad illorum cœtum perveniemus, abunde compensabuntur, et quæcumque nobis per injuriam ablata sunt, cum fœnore restituentur. Audistis forsitan aliquando nobilem Germanum a simplici rustico equum emisse, et dimidium pretii mox quidem solvisse, dimidium alterum Sancti Neminis diem dolose promisso. Rusticus post intervalla repetit pretium; sed alter diem istius sancti ait nondum venisse. Accusatus ergo nobilis apud judices Constantienses, condemnatur, ut in die sanctorum omnium pretium venditori numeret: siquidem illa dies sit sanctorum omnium, proinde illius S. Neminis, quicunque tandem ille sit. Multi hunc ludum

ludunt cum pauperibus, qui nullo unquam tempore sua recuperare a diretoribus possunt; omnia differentur ad diem Neminis. Sed enim veniet aliquando dies illa, et quando, nisi in die omnium sanctorum, quando omnibus sanctis in celo sua merces dabitur, et quidquid per nefas ablatum est, restituetur? Sic se solati sunt septem illi Macchabæi, dum lingua, manibus, pedibus truncarentur ab impio Antiocho, quod nimis membra illa abscissa in æternæ vitae resurrectione restituenda eis essent, II. Macch. VII.

IV. Mortem reddit optabilem, ut quæ educit nos velut obstetrix ex hoc tenebris mundi carcere in admirabile lumen et celestem patriam, ad concives nostros, beatos. Balaam ille impius, cum vidisset et miratus esset castra Hebræorum dicens: *Quam pulchra tabernacula tua, Jacob, et tentoria tua, Israel!* Ut valles nemorosaæ, et horī juxta fluvios irrigui; ut tabernacula, quæ fixit Dominus; quasi cedri prope aquas, etc. desideravit cum iis mori: *Moriatur anima mea morta justorum, et fiant novissima mea horum similia,* Num. XXIII. et XXIV. Quid dicat Christianus, cum attollit oculos in tabernacula sanctorum et felicissimam eorum societatem? Cum intuetur in prophetas, apostolos, martyres, confessores, anachoretas, virgines, conjugatos, parentes et fratres atque amicos suos? Elephas, quem misit Emmanuel rex Lusitaniae Romam Leoni X. Pp. (apud Pier. lib. I.) prius ab ingressu navis abhorrens, ubi a magistro audit se in celeberrimam totius orbis urbem, pulcherrimo loco sitam, ad summum orbis dominum ducendum, ibique se honorificentissime excipiendum et habendum, sine mora paruit, ultra navim ingressus. Quid Roma respectu cœli? Quid papa respectu Christi? Quid ornatus mundi respectu celestis? Difficulter quidem patriam deserimus: sed quando extra patriam quid habemus, quod maxime desideramus et sine quo miseri in patria sumus, tunc, libenter ea relicita, ad desideratum bonum emigramus.

Certe Jacob magnæ etiam ramis tempore in Ægyptum non descendit pro emendis frugibus, sed misit filios suos. At audivit ibi vivere, dominari filium suum dilectissimum et desideratissimum Josephum: *Sufficit mihi, inquit, vadam et videbo eum antequam moriar.* Itaque deseruit patriam dulcissimam, et quidquid prædiorum ac fundorum habuit, migravitque ad Josephum suum. Vere quidem hic in exilio magis quam in patria sumus: demus tamen hic patriam esse, certe caremus re desideratissima, Christi et sanctorum consortio. Cur igitur non libertissime eo commigramus, ubi summum nostrum bonum et tota nostra parentela est? Fuit in Persidis regno, circa annum Domini 1250. tyrannus quidam Aladdinus dictus, qui Muletam regionem occupavit, multosque sicarios, dictos Assassinos, hoc astu sibi adjunxit, et ad quævis adeunda belli pericula ac prælia animavit. In valle quadam amoenissima, præruptis montibus cincta, paradisum omni deliciarum genere, quallem suis promisit Mahometes, instruxit; arce in faucibus extrecta, ne cui adeundi, nisi per ipsius admissionem, potestas; affirmans interim se Mahometici paradisi claves habere. Quare potionem soporifera sopitos in eum locum inferri curabat, et ibi genialiter haberi, iterumque soporatos educi. Sic eos ab omnia imperia mortemque ipsam obeundam paratissimos habuit, et horum opera non paucos Christianorum principes insidiis circumventos oppressit, Paul. Venetus, lib. I. cap. XXVIII. his tor. orient. Potuit haec ficta paradisi terrestris species animare barbaros ad pericula adeunda spernendamque mortem: non poterit non animare ad mortem obviis ulnis excipiendam paradisi cœlestis verissima promissio, et realis jam possessio tot millium millenorum? Hoc igitur est quod fecit plurimos justos gaudere et jubilare, denuntiata sibi morte. Quod ut et nobis contingat, faxit Deus et impetrant omnes sancti.